

ordinatur, et tamen habet pro causa placitum Dei quod utique est aliquid liberum propositum et amor Dei: ergo multa media et effectus præparantur a Deo ex suppositione amoris liberi, quia redditur pro causa illius præparationis ista dilectio, seu amor.

XI. Deinde probatur, quod illa notitia simplex vel conditionata rei futuræ non possit esse actus in quo consistat providentia et prædestinatio, etiam adjuncta voluntate subsequuta eligente, et determinante talem vel talem ordinem rerum. Et deducitur hoc præcipue ex duobus principiis apud D. Thomam notissimis.

Alterum, loquendo de providentia in communi.

Alterum, loquendo de prædestinatione in speciali. De providentia in communi sæpissime ostendit D. Thomas providentiam divinam debere extendi ad omnia quæ quocumque modo habent esse, et nihil præsupponi debere ab ipsa providentia aut respici ut causatum, et ordinatum ab aliis inferioribus causis, et non a se, immediate ordinatum. Quod principium tradidit S. Thomas in hac quæstione xxii, art. ii et iii, et q. ciii, art. vi, et late in iii contra gent. cap. lxxvi. De prædestinatione autem in speciali ostendit omnem eventum prædestinationis, seu omnem effectum habere certitudinem, non solum ex parte præscientiæ, sed ex electione prædestinantis et ex ordinatione ejus. Quod principium tradit q. vi de verit. a. iii, et in hac quæstione xxiii, art. vii.

XII. Ex primo principio formatur ratio sic. Eventus rerum ex applicatione, et combinatione causarum nasciturus præsertim in causis liberis, et contingentibus est maxime contingens et incertus, et sic maxime indiget a providentia ordinari in tantum quod quidam, ut refert S.

Thomas in contra gent. cap. lxxxix, dixerunt quod providentia non erat de his, quæ subsunt libero arbitrio, ut de electionibus nostris, sed quod providentia refertur ad exteriores eventus: non enim qui intendit aliquid consequi, semper consequitur, quia eventus isti non subjacent libero arbitrio, sed providentiam disponuntur. Quæ sententia licet sit falsa pro ea parte qua eximit a providentia divina liberas nostras actiones, est tamen certissima pro ea parte qua eventus rerum per providentiam disponi docet, quod enim maxime incertum, et contingens est, maxime indiget certificari, et determinari per ordinationem providentiæ, alias fortuito, et a casu essent respectu Dei, quod nullo modo dici potest, quia omne ens quomodocumque fit, est a Deo ut agente per intellectum et voluntatem, et per artem: ergo ut agente per finem, et per ordinationem intellectus, quæ est providentia. Si ergo per scientiam mediam naturaliter, et necessario cognoscentem ante omne arbitrium, et decretum suum liberum proponuntur voluntati Dei omnes combinationes rerum, et omnes eventus, sub quacumque conditione, et statu ut determinate futuri ex sola intrinseca veritate rei, et non ex arbitrio et ordinatione divina: ergo quando voluntas eligit aliquid ex illis objectis, eligit aliquid quod jam præsupponitur, et proponitur ipsi voluntati ut determinatum, et solum oportet purificare conditionem ut de facto fit. Ergo posita voluntate purificandi conditionem, et eligendi hunc ordinem rerum ut sit, Deus nullam habet providentiam proprie dictam circa ipsos eventus ut determinate fiat hoc potius quam illud, hoc modo potius quam illo, sed tota prudentia, et ordinatione Dei erit circa hoc quod est purificare conditionem, et

eligere quod sit, vel non sit iste ordo rerum: circa reliqua autem vacat divina providentia. Consequentia patet, quia circa id quod jam præsupponitur, et proponitur ipsi providenti determinatum ex propriis principiis, et non ut determinandum per arbitrium, et ordinationem ipsius, inutilis est providentia: quid enim debet ordinare aut decernere circa id quod jam videt determinatum ante omnem ordinationem suam. Ergo eligente Deo ex infinitis combinationibus sibi representatis hunc ordinem rerum, et volente quod creatur, providentia functa est officio suo, nec pertinet ad ipsum gubernare, et determinare eventus rerum, sed aliunde determinatos, scilicet ex intrinseca veritate eventus, et non ex sui ordinatione acceptare vel non acceptare, quod est valde imperfectum in genere providentiæ, et potius ad ministrum et executorem pertinet, qui supponit rem ordinatam, et gubernatam, quam ad supremum Dominum, et gubernatorem omnium.

XIII. Exemplo rem illustro. Oblata est Davidi optio trium rerum jam decretarum a Deo, scilicet eligere aut tribus annis famem, aut tribus mensibus bellum, aut tribus diebus pestem, i Paralip. xxi: *Elegit David hoc ultimum, et ceciderunt de populo septuaginta millia*. Inquiri modo: licet David habuerit providentiam, et arbitrium circa electionem unius ex tribus illis ordinibus, facta tamen hac electione, potuitne ad ejus providentiam reduci quod morerentur septuaginta millia potius quam triginta, vel quadraginta, quod morerentur viri, an feminae, senes, an juvenes, plebei, an nobiles, de urbibus, an de villis, totum hoc fuit extra providentiam David, quia supponebatur a Deo determinatum, non sibi proponebatur arbitrio suo determinandum, sed tan-

tum eligere ex illis quod vellet, ut ex electione ejus mandaretur executioni juxta determinationem ab alio factam, id est, a Deo. Unde imperfecta, et valde inferior manebat providentia David circa illud factum, quia multa proponebantur ibi non determinanda per ipsum, sed jam determinata ab alio principio.

XIV. Ad rem: Si Deo proponuntur infinitæ rerum combinationes, et omnes earum eventus determinati sunt ex intrinseca sua veritate, et independenter ab ordinatione divina, sed ante omnem ordinationem sic representantur, et sic cognoscuntur, et proponuntur, et solum pertinet ad voluntatem optio eligendi ordinem rerum, quem voluerit, et purificare conditionem, ut executioni tradatur, et de facto sit: ergo facta ista electione, et purificatione, omnis alia determinatio eventuum, et quod accidat hoc vel illud (cum tamen posset oppositum accidere, etiam conditione posita, si quidem est contingens) hoc vel illo modo jam præsupponitur determinatum ex propria, et intrinseca veritate sua, et alia omni ordinatione seclusa: ergo etiamsi non detur alia providentia, et ordinatione, ac dispositio in mente divina præter illam purificationem conditionis, res illæ æque bene accident, et determinabuntur sic, imò ut Deus habeat aliquam ordinationem, et providentiam de illis veram et certam, debet se conformare his, quæ jam prævidet determinata ex suis intrinsecis principiis, et non ex arbitrio suo. Quid autem imperfectius, quam ea providentia, quæ vel supponit res suas jam determinatas, et ordinatas ex alio principio, vel si ordinat aliquid debet ordinare id ipsum quod determinatum est, et etiamsi non ordinet æque bene res accident propter determinationem jam necessario

ante præhabitam, et prævisam per scientiam mediam? Subtrahuntur ergo a providentia divina, ut causante, omnes illæ determinationes eventuum, quia jam supponuntur determinatæ, et solum proponuntur eligendæ quoad executionem. Unde licet Deus illas ponat in esse, tamen hoc est esse mere executorem eorum, quæ determinata supponuntur, non ea determinare.

XV. Quod si hoc totum devoretur, et dicatur providentiam non esse aliud quam id quod determinatum jam ex se præsupponitur et prævidetur imperare, et eligere per voluntatem executivam, ut de facto hoc vel illud fiat, quia præcipuus actus prudentiæ est imperare, non consiliare, et judicare, ut docet S. Thomas 2-2, q. XLVII, a. VIII, tunc sequuntur duo magna inconvenientia.

Primum, quod aliquid prævidet Deus ut determinatum ex providentia creaturæ, et non ex providentia increata Dei, seu ex arbitrio et ordinatione creaturæ, et non Dei, quod late impugnat S. Thomas III contra gent. c. LXXVII.

Secundum, quod nec etiam ex providentia divina pendet ipsa electio suæ voluntatis circa executionem quod sit, vel non sit de facto iste ordo rerum, eo quod præsupponitur determinatum, et prævisum per scientiam necessariam, et sic non dat locum providentiæ supervenienti, quæ per arbitrium operatur et per decretum liberum; et sic ex omni parte solvitur providentia divina ut causans, et ordinans. Sequela quoad primam partem probatur, quia quando Deus per scientiam mediam ante omnem ordinationem suam, et decretum liberum prævidet quid unaquæque voluntas factura sit in quocumque ordine, id quod ibi prævidet, est aliquid faciendum a voluntate creata ex ali-

qua præmeditatione, et directione suæ mentis, quia multa ex his quæ Deus videt futura in tali statu, per voluntatem videt futura esse secundum rationem et non temere, neque a casu: ergo videt tunc ibi aliquam determinationem creatæ voluntatis ex providentia ejus creata, si quidem providentia creata est quicquid ex creata præmeditatione fit cum ratione, et non a casu. Et tunc quando hoc Deus prævidet, nondum prævidet suam providentiam et arbitrium ex cujus ordinatione res illa determinetur a libero arbitrio creato: ergo aliquid videt determinari, et ordinari a providentia inferiori, quod non ordinetur et determinetur a superiori et divina, quod D. Thomas evidenter impugnat loco citato III contra gent. cap. LXXVI. Et de se patet manifeste, quia contradicit universalissimæ rationi divinæ providentiæ, sine cujus participatione. omnis providentia inferior intelligi non potest, sicut nihil creatum intelligitur, nisi ex participatione increati. Quod vero dicitur ex D. Thomas quod præcipuus actus prudentiæ est imperare, rectissime dicitur et sic deberet acceptari ab auctoribus oppositis, ut poneretur providentia in actu imperii. Sed D. Thomas addit in eodem loco citato, quod actus ejus est præcipere, qui quidem actus consistit in applicatione consiliorum, et judicatorum ad operandum. Et rursus ipsum imperare non est velle, nec actus voluntatis, sed intellectus, scilicet ordinatio cum intimatione efficaci, ut docet idem D. Thomas 1-2, quæst. XVII, art. 1. Ergo ubi totum quod agitur est ordinatum, et dispositum, et determinatum aliunde, nec per ipsum imperantem, et providentem determinatur, et ordinatur, sed tantum a voluntate acceptatur, vacat imperium istud quod a D. Thomas ponitur, et ex eo objicitur.

XVI. Nec dici potest quod illa providentia creata intelligitur per scientiam mediam ut dependens a providentia Dei conditionate futura, non a providentia Dei jam de facto præsupposita, et antecedente ipsam scientiam conditionatam, quia hæc non præsupponit decretum absolutum antecedens se. Sed hoc late impugnativimus præcedenti tomo, disp. XX. Et in præsentia extra rem affertur, quia providentia illa conditionate futura solum est ad ponendum in esse, et in existentia rem illam, si conditio purificetur. Supponit ergo illa providentia sub conditione futura determinatum eventum sub conditione ad unam partem potius quam ad aliam, qui jam prævisus est per scientiam mediam: ergo hæc determinatio non potest pendere ex illa providentia conditionate futura, quia ab ipsa præsupponitur, non vero ab illa oritur, et causatur, licet non possit poni in esse sine tali providentia, et decreto futuro. Si autem determinatio eventus ad unam partem potius quam ad aliam non pendet a providentia illa conditionate futura in vi determinationis, quia supponitur ab illa, sed solum ut ponatur existens: ergo causam inferiorem liberam se determinare ad hanc partem potius quam illam, et sic determinatam prævideri, pendet ex inferiori providentia creata, et non a divina, quod est maximum, et intolerabile absurdum, et omnino execrandum. Et sequela patet, quia ab antecedenti, et præsupposito providentia non pendet, cum hi auctores negent omne decretum ante scientiam mediam, et in hoc scientia media consistit, quod independentem ab omni decreto jam habito, et præsupposito cognoscit determinationem voluntatis creatæ. Similiter a futura providentia non pendet, quia ab ipsa quando adfuerit, jam

præsupponitur illa determinatio causæ inferioris, et solum servit providentia seu decretum ut de facto detur illi esse, vel non detur in executione: ergo extra providentiæ terminos est determinatio illa.

Sequela vero quoad secundam partem probatur, quia sicut Deus scientia illa media videt quid determinate factura est voluntas creata, ita etiam quid factura vel electura sit sua divina. Quod etiam communiter admittunt defensores scientiæ mediæ, licet id Molina negaverit, quia Deus non super comprehendit se. Sed immerito, nam illa determinatio divinæ voluntatis etiam est aliquod verum, et aliquod intelligibile: ergo ab infinito, et comprehensivo lumine Dei debet attingi. Quod si attingitur, ergo ut Deus velit et eligat determinate hunc ordinem rerum potius quam illum, non indiget providentia libera, et per arbitrium operante, et ordinatione ex parte sui, quia jam totum ordinatum, et determinatum sibi representatur.

XVII. Ex secundo principio supra posito deducitur eadem nostra assertio, quia D. Thomas duo principia in sua doctrina ponit, quibus illam scientiam mediam rejicit a ratione prædestinationis.

Primum est, quod prædestinatio non solum imponit rebus ordinem ad finem quod etiam facere potest providentiæ communiter dicta, sed etiam ipsum exitum vel eventum ordinat.

Secundum est, quod prædestinatio non differt a non prædestinatione solum ex præscientia eventus, sed ex ipso ordine, et electione prædestinantis ad talem eventum, id est, ad salvationem. Cum quibus principii stare non potest quod providentia seu prædestinatio sit actus intellectus proponens omnem eventum rerum determinatum antecede-

denter ad omnem actum liberum voluntatis, quia sic non pertineret ad intellectum dirigere et ordinare ipsum eventum et exitum rei a suis causis, sed præsupponere illum. Primum ergo illud principium explicat s. doctor, q. vi de verit. art. i, ubi inquit: « In qualibet ordinatione ad finem est duo considerare, scilicet ipsum ordinem, et exitum vel eventum ordinis: non enim omnia quæ ad finem ordinantur, finem consequuntur. Providentia ergo ordinem in finem respicit tantum, unde per Dei providentiam omnes homines in beatitudinem ordinantur: sed prædestinatio respicit etiam exitum, et eventum ordinis. Unde non est nisi eorum qui gloriam consequuntur.» Ubi manifeste docet S. Thomas quod ipse eventus, seu exitus, qui utique ad executionem pertinet, cadit sub providentiam prædestinativam, et ita de ipso ordinare et præparare debet, quia prædestinatio præparatio beneficiorum Dei est, et nullum est majus beneficium quam quod in re tanti momenti bonum exitum seu eventum habeamus. Sed quia possunt dicere auctores oppositi, quod iste eventus habetur per prædestinationem ut præscitus ex ipsa scientia media, quæ secundum se prædestinatio est cum hoc solo quod adjungatur illi voluntas Dei subsecuta eligens et exequens illum eventum determinate pro isto homine, non pro illo, contra hoc occurrit secundum illud principium D. Thomæ, quod non sufficit haberi certitudinem illius eventus ex præscientia, sed ex ordinatione Dei. Sic enim dicit eadem quæstione vi de verit. art. iii: « Non potest dici quod prædestinatio supra certitudinem providentiæ nihil aliud addit, quam certitudinem præscientiæ, ut si dicatur quod Deus ordinat prædestinatum ad salutem, sicut et quemlibet alium, sed cum hoc de prædestina-

to scit, quod non deficit a salute: sic enim dicendo non diceretur prædestinatus differre a non prædestinato ex parte ordinis, sed tantum ex parte præscientiæ eventus, et sic præscientia esset causa prædestinationis: nec prædestinatio esset per actionem prædestinantis, quod est contra auctoritatem Scripturæ, et dicta sanctorum.» Ita D. Thomas.

XVIII. Ex quibus principiis sic colligitur. Si Deus per scientiam illam scit omnes eventus et combinationes antecederet ad omnem ordinationem, et dispositionem electionis suæ circa ipsos eventus: ergo quando voluntas sua applicatur ad eligendum aliquam ex his combinationibus, et aliquem ordinem rerum non eligit eventum qui sit sic determinatus ex ordinatione sua, sed ex præscientia sua, si quidem ut sæpe dictum est, supponit illum eventum prævisum determinate antequam eligat, et decernat: ergo ad prædestinandum hunc hominem, id est, ut sortiatur eventum ejus salvatio, non indiget ad prædestinandum unum præ alio specialiter ex parte sua ordinare de uno, quam de alio, sed æqualiter utrumque hominem ordinando ad salutem, et æqualia media illis dando, et æqualia auxilia ex parte Dei, solum ratione præscientiæ quam Deus ante suam voluntatem habebat, quod iste non deficit positus illis mediis, alter vero deficit, manebit unus prædestinatus, alter non. Et sic poterit dari casus, quo Deus æqualiter eligat ex parte sua personas, et æqualiter ex parte sua ordinet, et tamen ratione præscientiæ sequatur dispar effectus, et unus reddatur prædestinatus, non alter; et tunc sola præscientia erit causa prædestinationis, non divina ordinatione ex parte Dei est æqualis, et tota differentia est in præscientia illa antecedenti quod hic habebit eventum, seu non deficit, alter vero sic.

Et casus est, quando Deus prævidet ante omne decretum suum quod duobus hominibus æqualiter præventis, et ordinatis a Deo, unus pro sua libertate utitur bene illa præventionem, alter non; et sic moritur uterque, et præscientia iste posita, Deus nihil aliud addit uni, quod non alteri, sed utrumque vult sic producere, et sic prævenire, tunc tam in producendo, quam in præveniando seu ordinando de mediis Deus æqualiter se habet, et tamen ratione solius præscientiæ sine nova Dei ordinatione circa unum quam circa aliud, nascitur dispar effectus, salutis in uno, reprobationis in alio. Ergo tunc sola præscientia est causa istius prædestinationis, non electio ipsa, et ordinatio Dei. Hoc dicit S. Thomas esse contra Scripturam et dicta sanctorum.

XIX. Nec dici potest, esse diversam electionem Dei in uno præ alio, quia præsciens Deus hunc non defecturum a gratia, et habiturum meliorem eventum, voluit illum producere, et sic eligere ut poneretur in rerum natura, alium vero prævidens deteriorem eventum habiturum, elegit etiam ut esset. Diverso ergo modo eligit Deus prædestinatum, et non prædestinatum, si quidem diversum eventum eligit in uno quam in alio, cum posset non eligere. Sed hoc nihil est, quia D. Thomas non intendit ponendam esse differentiam inter prædestinatum, et non prædestinatum ex parte electionis ejus quod præscitur eventurum, nec ex parte productionis ad extra, sed ex parte ipsius prædestinantis, et ordinantis. Nam D. Thomas ponit hunc casum, quod Deus ordinet eodem modo prædestinatum, et non prædestinatum, sed cum hoc de prædestinato præsciat quod non sit defecturus a salute: ergo supponit quod Deus hunc hominem sic prævisum quod non deficit, eligit, et

alium prævisum quod deficit, etiam vult, et ordinat ut existat et producat, et sic quod detur diversa electio seu ordinatio, diversitate se tenente ex parte eventus prævisi per præscientiam, et tamen hoc non obstante, dicit S. Thomas quod tunc differret prædestinatus a non prædestinato solum ex parte præscientiæ, et non ordinis divini, et quod præscientia esset causa prædestinationis, et illa non esset ex electione prædestinantis, quod est contra Scripturam, et dicta sanctorum: ergo tota illa diversa electio ex parte diversi eventus prævisi, si est eadem ordinatio et electio ex parte Dei prædestinantis nihil omnino refert ad inconveniens illatum a D. Thoma quod dicit esse contra Scripturam, et dicta sanctorum, si quidem hoc inconveniens infert, etiam supponendo quod ex parte eventus prævisi et productionis semper est diversitas, et Deus illam diversitatem sic prævisam vult.

XX. Colligentes ergo vim rationum hucusque pro hac parte adductam, dicimus summam earum ad hoc reduci, quia si providentia Dei ponitur in aliqua notitia omnem actum liberum Dei antecedente, quo cognoscat plenissime omnem mediis apparatus, efficaciam, et omnes eventus sub quacumque combinatione futuros, non ex decreto Dei dimanando, sed ex sua intrinseca veritate determinatos, et per scientiam mediam quæ necessaria est, et ante omnem providentiam, quæ libera, et arbitraria est prævisos, ita quod solum restet subsequi actum voluntatis eligentem, et purificantem conditionem, ut de facto res illæ sint, et producantur, ut ex hoc illa scientia denominetur providentia ex adjuncto beneplacito voluntatis exequentis, talis modus explicandi providentiam, licet ex una parte videatur salvare perfectissimam ejus noti-